

Georg Mejer Johann Adolph Fabricius


Disputationum Physicarum Decimaseptima. De Mixtione, Temperamento, Ortu Et Interitu

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742736865>

Druck Freier  Zugang






57

R. U. phil. 1609. 10.

12 gfl.

35 1717





Disputationum Physicarum
DECIMASEPTIMA.
DE
MIXTIONE,
TEMPERAMENTO,
ORTU ET INTERITU.

Quam

Divina adspirante gratia

In Inclya Academia Rostochiensi

SUB PRÆSIDIO

M. GEORGII MEIERI


Duderstadensis Saxonis.

Tuebitur

JOHANNES ADOLPHUS FABRICIUS

Slesvicensis

Ad diem 14. Iulij horis & loco consuetis.



Rostochij Typis Myliandrinis Anno 1610.

R E V E R E N D I S S I M O

*Orthodoxa religionis Zelo
Syncera pietatis laude
Omnijugæ doctrina ornamento
Clarissimo viro,*

Dn. M. P E T R O H E G E L I O
Dioeceseos Ripensis Episcopo & Super-
intendenti generali vigilantissimo.

NEC NON

*Reverenda dignitate,
Pia gravitate
Insigni doctrina
Conspicuis.*

Dn. J O H A N N I M A U R I T I O
Ecclesiæ Tunderensis Pastori: & reliquarum istius
Præfecturæ Præposito meritissimo.

Dn. M. M A R C O S I M O N I S
ejusdem Ecclesiæ συνέργου dignissimo.


Dn. J O H A N N I G E O R G I O Ostenveldensium
qui sunt in agro Slesvicenti, Ecclesiastæ fidelissimo.

Dn. amicis, affinibus & avunculo plurimum colendis.

Hoc Physicum exercitium,

*debita gratitudinis πικρή, or
perpetua observantia σὺν ἑορῶν
submissè dicare voluit, debuit.*

Johannes Adolphus Fabricius J. F. Respond.



DE MIXTIONE, TEMPERAMENTO, ORTU ET INTERITU.

Theorema I.

Ad omnem mixtionem perficiendam requiritur agentis & patientis contactus.

Quandoquidem corpora simplicia, elementa scilicet, tota comparata sunt ad generationem mixtorum, naturaq; ipsius intentio & consilium minimè fuit, ipsa simplicia producere, sed ex ipsis corpora composita constituere: post doctrinam de elementis, optimâ methodo sequitur, qua de eorundem mixtione, alijsq; qua eandem comitantur, agit.

II. Quia vero elementa misceri non possunt sine mutua actione & passione: actio vero & passio non sunt sine contactu, explicandum prius est, quid sit contactus, quid actio & passio, sive agens & patiens. Contactus autem vocabulum aquivocum est: Sumitur enim vel propriè & Physicè: vel impropriè & metaphoricè. De contactu propriè & Physicè accepto hic potissimum agitur, qui dicitur conjunctio duarum magnitudinum habentium positionem seu distinctum situm, quarum extrema sunt simul activa & passiva ad invicem. ὡς τὸ φανερόν ὅτι τὰ ὅλα ἀπὸ τῶν πέντε στοιχείων ἀλλήλων, ὡς διηρημένων μερῶν, ἀμφοτέρωθεν ἐστὶν ὄψων κινήτων καὶ κινήτων τῶν ἀλλήλων. Arist. lib. 1. de gen. & cor. c. 6. t. 44.

III. Et hac qua in se mutuo agunt & patiuntur, oportet aliquo modo esse similia & dissimilia, genere quidem similia, specie vero dissimilia. Simile enim à simili quod prorsus est tale, nil patitur.

tur. Ἄλλ' ἴσθι ὅτι τὸ τυχὸν πέφυκε πάσχειν καὶ ποιεῖν, ἀλλ' ὅσα
ἢ ἐναντία ἐστίν, ἢ ἐναντίωσιν ἔχει, ἀνάγκη καὶ τὸ ποιεῖν, καὶ τὸ
πάσχειν, τὰ ἴσθαι μὴ ὁμοίον εἶναι καὶ ταῦτό, τὰ δ' εἶδει ἀνόμοιον ἢ
ἐναντίον. *Arist. lib. 1. de gen. & cor. c. 7. t. 50.* Quod verò agit,
per formam sive actum suum agit: Forma enim operationis
est principium: quod vero patitur ratione materia patitur: Ma-
teria enim passionis est principium. Et agens quando agit, ipsum
patiens eousq; immutat & perficit, quousq; idipsū sibi simile efficiat.

IV. Est vero eadem & agentis & moventis, ut et patientis &
mobilis ratio. Τὸν αὐτὸν ἢ λόγον ἰσχυρῶς εἶναι καὶ τὸ ποιεῖν
καὶ πάσχειν, ὅντι καὶ καὶ τὸ κινεῖσθαι καὶ κινεῖν. *Arist. lib. 1. de
gen. & cor. c. 7. t. 53.* Quemadmodū enim movens est vel primum
vel postremum, è quibus illud quidem movet, sed non vicissim mo-
vetur: sic & agens est vel primum vel postremum. Illud quando
agit agendo nihil vicissim patitur, quia materici est expers: hoc
vero agendo repatitur, ratione videlicet materia quam sibi habet
adjunctam. Hinc oritur reactio & repassio.

V. Est vero reactio nihil aliud, quam reciproca actio, quā id
quod agit, vicissim patitur: quemadmodum repassio est reciproca
passio. In hujuscemodi enim actione & passione unum idemq; agit
& patitur: Agit secundum formam: patitur vero secundum ma-
teriam. Et fit hujuscemodi reactio, quando conformitas quaedam
est & proportio inter qualitates: tum enim inter se invicem agere
& pati dicuntur, atq; hac actio propriè nihil aliud est quam gradus
alicujus impressio: non enim sequitur totalis mutatio, sed aliqua
saltem qualitatum inter se remissio. Hujuscemodi reactio necessa-
riò concedenda est, quippe sive qua mixtio stare non potest. Nulla
enim mixtio fieri potest nisi summa elementorum qualitates fran-
gantur ac remittantur.

VI. Quanquam non desunt qui eandem negant. & con-
tra eam hoc dilemmate insurgunt: Aut causa agentes sunt aqua-
les, aut inaequales. Si aequales, neutra aget in alteram: sin ina-
quales,

quales, una saltem aget. Verum pro solutione hujus objecti notandum est, quod agens agat quidem saepe numero ratione actionis absoluta, sed nihilominus tamen ipsum patiens reagit ratione impressionis quorundam graduum. Unde neutrum remanet integrum, sed medium quoddam existit, quod dicitur mixtum.

Theorema II.

Mixtio est miscibilium alteratorum unio.

Arist. lib. 1. de gen. & cor. c. 10. t. 90.

I. *Mixtio est vel artificialis vel naturalis. Illa improprie dicitur mixtio: hac proprie. Fit autem mixtio artificialis vel per appositionem, vel confusionem. Per appositionem, όταν ἕτως εἰς μικρὰ ὁ κρεττὴ τὰ μινύμωρα, καὶ τεθῆ παρ' ἀλλήλα τῶν τὸν πρῶτον, ὥστε μὴ δῆλον ἕκαστον εἶναι τῆ αἰοθήσῃ, τότε μέμικται, ἢ εἶ. Arist. lib. 1. de gen. & cor. c. 10. t. 85. λέγεται μὲν ἐν ἐκείνῳ, οἷον κρεττὸς μεμικταῖ πρῶτος, όταν ἦπασάν παρ' ὀνλίνασιν τεθῆ. Arist. ibid. Per confusionem, ut quando aqua vino commiscetur.*

II. *Ceterum de hujuscemodi, & alijs mixtionum generibus hic nihil agimus, sed saltem de mixtione proprie sic dicta & naturali, quam definimus ex Aristotele miscibilium alteratorum unionem. Hac vero definitio ut melius intelligatur, miscibilium conditiones, è quibus pendet, sunt cognoscenda. Primò enim debent miscibilia habere eandem materiam, ἐν οἷς τὸ ποιεῖν ἐστὶ καὶ τὸ πάσχειν ἀνάγκη τῶν μίαν εἶναι τὴν ὑποκειμένην φύσιν. Arist. lib. 1. de gen. & cor. c. 6. t. 43. Item τὰ μὲν ἐν ἀντιπέφῃ, ὅσων ἡ αὐτὴ ὕλη ἐστὶ, c. 10. t. 87. Deinde debent inter se mutuo agentia esse & patientia. Ἐστὶ δὲ, ὡς ἐφαμὲν, τῶν ὄντων, τὰ μὲν ποιητικὰ, τὰ δὲ πάσχειν τῶν ποιητικῶν. Arist. ibid. t. 87. Porro certa debet esse proportio inter ea quae miscentur. όταν ᾗ πᾶσι δυνάμεσιν ἰσότητῃ τῶν, τότε μέμικτὰ μὲν ἕκαστον εἰς τὸ κρεττὸν ἐκ τῆς αὐτῆς φύσεως. Idem ibid. t. 89. Deniq; debent alterari miscibilia, cum*

Substantia mutatione. εἰ δὲ ἡ ἰσότης μεταβάλλεται, καὶ ἡ ψυχρότης εἰς ἀλλήλα, ἀλλὰ δὴλον ἐπὶ τῷ ὑποκείμενῳ. Idem ibid. c. 6. t. 43.

Theorema III.

In mixtis elementa actu reperiuntur.

I. Theorema hoc omnibus seculis, varijs dissentientium certaminibus fuit expositum, unde etiam factum, ut mira opinionum de ea varietas apud Philosophos extiterit. Quidam enim ut Avicenna cum Empedocle, formas elementorum remanere in mixto integras, qualitatibus tantummodo refractis, existimabant. Quidam formas elementorum nullo modo servari, sed in mixto tantum qualitates remissas manere, censent. Nonnulli & formas & qualitates elementorum in mixto reperiri quidem sed potentia tantum, non actu, statuunt, quam sententiam cum Scoto amplectitur Timplerus lib. 4. Phys. c. 1. q. 3. par. 2. Alij mediam eamq; regiam, tenent viam, cum Zabarella statuentes formas elementorum neq; prorsus interire, neq; integras tamen servari, sed refractas in mixtis actu esse & reperiri.

II. Et postrema hac sententia, omnium est tutissima, ac veritati maximè consentanea. Nam 1. Mixtio definitur miscibilium alteratorum unio: Unio autem nihil aliud est, quam rerum diversarum conglutinatio, quâ in unam transmigrant naturam, & unum fiunt specie. 2. In mixtis est motus elementorum: Mixtum enim movetur motu elementi in ipso predominantis. Ubi autem est motus elementorum, ibi & ipsa elementa sint necessum est. Et quia mixtum nō ad cuiuslibet elementi movetur motum, sequitur quod non integra, sed refracta in eo sint & reperiantur. 3. Elementorum qualitates omnes, remissa tamen reperiuntur in mixtis. Ergo & ipsa forma elementorum cum quibus immediate coherent. Quia vero qualitates hæc sunt mutata & ad mediocritatem redacta, colligitur, etiam formas esse refractas, & ad mediocritatem redactas. Qua-

III.

Quare tres priores opiniones repudiamus. Primam:

I. Quia si forma elementorum in mixto manerent integra, non fieret mixtio proprie, sed tantummodo coaceruatio diversorum corporum. 2. Quia integra si manerent forma, ipsum mixtum non esset unum per se, sed per accidens, è pluribus aggregatum. Hic locum habeat illud Scaligeri: Dico quod multæ formæ actu sub una forma contineri nequeant, exer. 16. sect. 3. 3. Quia si saltem qualitates elementorum mutarentur, sequeretur alterationem tantummodo esse mixtorum, non generationem. Secundam: 1. Quia impossibile est, seruari primas qualitates extra formas elementorum: propria enim quia sunt accidentia, immediatè à formis elementorum fluentia, non possunt separari vel seungi ab ipsa forma ipsa. 2. Quia ipsum vocabulum mixtionis contrarium arguit: Quia enim miscentur, esse non desinunt. 3. Quia mixta vicissim in elementa resolvuntur. Ergo formæ elementorum non prorsus in mixtis intereunt. Quod enim in re non est, in id res resolvi non potest. Tertiam: 1. Quia si elementa actu non essent in mixtis, nec ipsa mixta actu essent: Habent enim totam essentiam suam ab elementis. 2. Quia elementa sunt principia constituenta mixtorum: Principia autem constituenta rei, non possunt abesse à re constituta. 3. Quia in mixto nihil reperitur quod plane destruere possit formas elementorum.

IV. Sed audiamus, & argumenta, quibus qualibet secta suam confirmat sententiam ac opinionem. Prima sua assentionis has habet rationes. 1. Quia alteratio solam qualitatum concernit mutationem: In definitione autem mixtionis tantum alteratorum ponitur unio. 2. Quia substantia non possunt intendi aut remitti. Secunda: 1. Quia si forma seruarentur in mixto, mixtum non esset unum. 2. Mixtum rectè appellaretur modo terra, modo aqua, modo ignis, modo aër, quod tamen absurdum est. Tertia: 1. Quia elementorum formæ substantiales ante generationem mixti

mixti destruuntur, cum impossibile sit, ut nova forma mixti in materiam elementorum rectè dispositam introducatur, nisi veteres elementorum propria expellantur. 2. Quia si elementa actu in mixto essent, sequeretur inde: a. sine ulla precedente alterius corporis corruptione mixtum generari, quod absurdum est, & pugnat cum principio Physico, quo asseritur, unius corporis generationem, semper precedere alterius corruptionem. b. duo distincta corpora, ut sunt aqua & terra, per se existentia esse materiam, in quam forma substantialis alterius corporis, nempe mixti introducatur, quod iidem absurdum est. Timpl. lib. 4 Phys. c. 1. q. 3. par. 2.

V Respondemus vero ad prioris opinionis argumentum primum, quod principium petat. De eo enim quaritur, an hoc in loco vox alterationis pro mera accidentium, & non simul ipsius substantia mutatione usurpetur. Dicimus Aristotelem maluisse adhibere vocem alterationis, quam corruptionis, ne perfectum miscibilissimum intelligeremus interitum. Ad secundum, quod cum doctissimo Zabarella distinguendum sit, inter intensiorem & remissionem quæ fit sine variatione speciei: & quæ cum variatione speciei. Priori modo nulla omnino substantia remitti potest: posteriori vero modo aliqua substantia remitti potest. Sic forma ignis potest remitti, & amittere aliquem gradum, sed illa remissio mutat necessario speciem, & fit per admixtionem aliorum elementorum contrariorum, per quam alia quoque elementa similiter remittuntur, & ex ea remissione fit nova species, ut caro & aurum, quod rectè à Philosopho vocatum est medium, quod specie ab extremis differt.

VI. Ad alterius opinionis argumentum primum respondemus, quod tum demum unum non esset mixtum, si formæ elementorum manerent integra: Nam constantibus formis, integris scilicet, mistio acervus esset, Scalig. exerc. 16. sect. 3. Verum non manent integra, sed refracta: non manent ut plures formæ, sed ut una facta. Ad alterum, quod quia forma elementorum in mixto

in mixto concurrentes, mutua actione & passione in unam coeunt
formam specificam mixti, ipsum mixtum non rectè dici possit vel
terra, vel aqua, vel aër, vel ignis.

VII. *Supersunt tertia & postrema opinionis argumenta diluenda: quorum primum clarè innuit, formam mixti realiter esse distinctam à formis elementorum, quod tamen verum non est: siquidem non realiter, sed formaliter tantum forma mixti differt à formis elementorum, quia ex harum congressu sive commixtione illa producitur. Alterum tollitur hoc modo: Initiò formæ elementorum, quia in mixtione novam subeunt formalitatem, priorem amittentes, interire dici possunt. Est itaq; mixti generatio, elementorum corruptio, nam formæ elementorum, quatenus sunt elementorum forma, suam formalitatem in generatione mixti amittunt. Deinde non propterea novam, realiter distinctam à formis elementorum formam introduci in mixtum, jam supra ostendimus.*

Theorema IV.

Temperamentum est qualitas in mixtione ex unione primarum resultans.

Temperamentum mixtionem proximè insequitur: oritur enim ex quatuor elementorum congrua atq; proportionali mixtione. Proportionem intelligimus non Arithmeticam, sed Geometricam: Temperamentum enim si constaret proportionem Arithmeticam: ex aqua elementorum eorumq; virium portione mixtum constaret, & sic nullibi quiesceret, quia nullibi esset in loco suo. Unumquodq; enim elementum si non vincitur ab alio, movetur ad suum locum. Quare proportionem Geometricam opus est, quæ unicuiq; mixto, symmetria elementorum tantum datur, quantum ipsius naturæ maximè convenit.

B

Theo-

Theorema V.

Usus temperamenti est, quovis modo operationes formarum adjuvare.

I. Est enim instrumentum necessarium, sine quo non operatur forma, à natura datum, ut esset adjuvamento forma veluti primario artificio. Quare temperamentum non erit ipsa forma, prima & principalis operationum causa, sed secunda sive instrumentalis. Haud eo inficias temperamentum esse quasi instrumentum formæ ad conservationem, sed nego esse per se causam, ait Scal. exer. 204. sect. 2. Huic liquet temperamentum, in sola unione qualitatum definiendum esse: Forma enim agit per qualitates.

III. Non igitur substantia erit elementum, ut quidam volunt in hunc modum colligentes: Aut temperamentum nascitur ex qualitatibus: aut ex substantijs. At non ex qualitatibus, quia hæ non possunt esse sine substantia. E. ex substantijs. Si ergo ex his, non poterit accidens esse, sed substantia temperamentum. Verùm argumentum hoc nihil aliud probat, quam temperamentum non fieri è qualitatibus extra subjectum existentibus, quod facile largimur. Non enim volumus temperamentum extra subjectum, sed in subjecto ex qualitatum unione nasci.

Theorema VI.

Generatio est mutatio à non esse, ad esse.

I. Ex elementorum permixtione & negotio oritur cum generatio, tum qua ei est opposita, corruptio. Est vero generatio alia simplex: alia secundum quid. Simplicem, qua generatio est proprie sic dicta, theorema nostrum definit. Nam generatio negotio nihil aliud

aliud est, quam nova cuiusdam affectionis vel secundum quantitatem, vel qualitatem, vel lationem, unâ eademq; numero substantiâ permanente, nullaq; mutatione essentia inerveniente, inductio.

II. Genus generationis constituimus non motum, sed mutationem, cum quod motus accidentis sit tantum, generatio vero substantia: tam quod oranis motus fiat in tempore, generatio vero non in tempore, sed in instanti. Neq; enim generatio est in tempore: si generatio est formæ introductio: si forma est res indivisibilis. Nam si è fimo generatur mus: partim fimus erit, partim mus. Hoc autem vulgi est, Scalig. exer. 290. sect. 1.

III. Est vera mutatio à non esse ad esse, quod tamen accipiendum est, non de non-Ente negativo: Ex nihilo enim Physicè loquendo nihil fit: sed non-Ente privativo, quia quod gigni debet, priusquam gignatur, genitum non est. E. g. Ovum est materia generationis pulli. Ovum autem non est absolutè nihil, tum enim ex eo nihil posset generari: sed est tantummodo in privatione ad generandum pullum.

Theorema VII.

Generatio unius est alterius corruptio. Et contra: Corruptio unius alterius est generatio.

Generatio & corruptio quia sunt contraria non possunt eidè secundum idem attribui, ideoq; malè dico, generationem unius, ejusdè esse corruptionem: Qui quid enim generatur dum generatur, non corrumpitur: Est igitur rei generatio, non ejusdem, sed alterius rei corruptio, quia quicquid generatur, non generatur, nisi prius è materia, ex qua generatur, forma expellatur, atq; sic intereat. Impossibile enim est, rem unam duabus formis specificis & ultimis constitui: Accedente igitur forma una, esse desinit altera. Similiter: quicquid corrumpitur, in aliud corrumpitur,
quia

quia materia prima nunquam existit sine forma. Forma igitur una recedente sive sublata, nova statim accedit, materiamque priore privatam informat.


Theorema VIII.


Corruptio est mutatio ab esse, ad non esse.

Cognito uno contrariorum, facile cognoscitur & alterum. Quia igitur supra generationem definivimus, potest inde iudicium fieri de natura corruptionis. Quemadmodum enim in generatione nova forma acquiritur; sic in corruptione forma amittitur. Progreditur enim illa à non-Ente ad Ens; hac vero contra, ab Ente ad non-Ens, non quidem negativum, ut superius etiam diximus, sed privativum. Ut enim è nihilo nihil generari potest, sed omne quod generatur, necessario ex aliquo generatur: Sic in nihilum nihil redigi potest, sed omne quod corrumpitur, in aliud abit & resolvitur.

COROLLARIA.

- I.
An omne agens naturale contactu simul sit cum patiente? A.
- II.
An simile in prorsus simile agere possit? N.
- III.
An forma mixti realiter differat à formis elementorum? N.
- IV.
An temperamentum nativum difficulter sit mutabile? A.
- V.
An generatio & corruptio sit solius compositi? A.
- VI.
An quod semel penitus corruptum est, idem numero naturaliter renasci possit? N.





306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; & natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, non in corpore, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore existere, sed per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore existere. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unione separantur.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione esse bonus, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document